



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXXIII. De Jure epistolarum formatarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

CAP. XXXIII.

De Jure epistolarum formatarum.

I.

Speciale etiam hoc jus est antiquitùs solis Episcopis competens, uti disertè decretum in Concilio Turonensi II. c. 6. *Ut nullus Clericorum vel Laicorum præter Episcopos epistolia facere præsumat.* Sic enim dicebantur literæ Episcoporum communicatoriæ, uti testatur Epistola Synodica Concilii Sardicensis ad *Julium Pontif. R.* Per Episcopos autem denotantur in univèrsum omnes, cujuscunque gradùs & ordinis sint, sive patriarchæ, metropolitani, & Episcopi simplices, uti discere licet ex Concilio Carthaginiensi III. c. 28. Concilio Carthag. V. c. 7. Milevitano c. 20. Chalcidonensi c. 11. collato cum commentario Zonaræ. Non poterit ergo Clericus alibi versari, & neque hospitio quidem excipi, nisi Episcopi sui literis instructus, quod etiam ad monachos extendit Concilium Agathense c. 38. Clericis, inquit, *sine commendatitiis epistolis Episcopi sui licentia non pateat evagandi, in monachis quoq; par sententiæ forma servetur.* Nec sufficientes adeò fuèrunt monachis Abbatum suorum literæ, quibus nec jus fuit *κωνωνιακὰς* ejusmodi epistolas scribendi. Concilium Aurelianense II. c. 13. Abbates, *martyrarii, reclusi, vel presbyteri epistolia dare non præsumant.* Abbatis tamen literas ideò adjungi oportebat, ut constaret de consensu ejus & voluntate, sicubi monachus aliorum se conferre voluerit. Eâque sub cautione Gratianus c. *monachum.* 20. q. 4. cum recensere destinasset canonem Concilii Agathensis supra adductum præmisit hæc verba, quæ in antiquioribus Conciliorum editionibus non inveniuntur: *Monachum nisi abbatis sui permissu aut voluntate ad alterum monasterium commigrantem nullus abbas suscipere aut retinere præsumat: sed ubicunq; fuerit abbati suo autoritate canonum revocetur.*

II. Hæ literæ atque epistolæ generali vocabulo communicatoriæ *κωνωνιακὰς* dicebantur, quod communionem Ecclesiarum conservarent, & unum omnium consensum significarent, & unam adeò, ex pluribus Ecclesiam coagmentatam quasi & compactam demonstrarent. Eleganter Optatus Milevitanus lib. 2. *advers. Parmenian.* *Nobis totus Orbis commercio formatarum in unâ communionis societate concordat.* Et ex ejusmodi literis videtur olim orthodoxia scribentis & recipientis colligi potuisse, cum desierit specialium harum literarum commercium, simulatque cœtus aliquis aut Episcopus in hæresin lapsus fuisset. Scribit enim Augustinus epist. 162. *Unde factum est, ut etiam ad nonnullos Donatistarum primarios scriberemus, non communicatorias literas, quas jam olim propter suam perversitatem ab unitate catholica,*

licâ, quæ toto Orbe diffusa est, non accipiunt, sed privatas tantum. Ex eo autem, si non posset quis literas formatas, quocunque vellet, ad veræ Ecclesiæ Episcopos mittere, suspicio erat, heterodoxiam ab eo foveri. Idem Augustinus *epist.* 163. Hic primò asserere conatus est, ubiq. terrarum esse communionem suam: quærebam utrum epistolas communicatorias, quas formatas dicimus, possent, quò vellet, dare. Eoque pertinet, quod Liberius Pontifex Romanus, ab exilio restitutionem petiturus, in causâ Athanasii ad Episcopos Orientales scripsisse fertur: *Sicatis his literis, quas ad unanimitatem nostram mecum omnibus vobis & cum universis Episcopis Ecclesiæ Catholice pacem habere: supradditum autem Athanasium alienum esse à communionem meâ sive Ecclesiæ Romanæ & consortio literarum Ecclesiasticarum.* Et alibi: itaq. amoto Athanasio à communionem omnium nostrum, cuius nec epistolia à me suscipienda sunt &c.

III. Formatæ fuerunt dictæ vel à certâ ac determinatâ formâ antiquitus præscriptâ, certisque signis ac notis specialibus verbisq. quasi solennibus concipi solerent: vel ad exemplum epistolarum formalium, qualem Domitianus dictasse dicitur Svetonio *in ej. vit. c. 13.* fortè ideò, quod publicam & solennem formulam contineret: vel à formis seu literis, quæ in earum fine adponi solent: vel denique à formâ sigilli, quâ munitæ fuerunt, & huic derivationi respondere ajunt vocabulum, *πυρομύρον*, quo Græci formatam exprimere solent, cùm & *πυρρον* idem sit, quod sigillare. Disputant eâ de re Cujacius, Savaro, Sirmondus, Beveregius, Priorius & alii. Sed fruatur unusquisque eo, quod sibi placet. Origenes enim vocabulorum, quemadmodum & rerum, tam incertæ sæpè sunt & obscuræ, ut in meras divinationes prolabi oporteat illum, qui curiosè nimis indagare eas velit. Dicuntur etiam literæ canonicæ in concil. Laodîcen. *can. 42.* *Κανονικά γράμματα, αἵς κτ' κανόνα ζωῶντα*, inquit ibi Zonaras, quod secundum canones fierent, aut scriberentur.

IV. Inventum hoc communiter adscribere solent Ecclesiæ Latine Doctores Concilio Nicæno, moti autoritate fragmenti alicujus, quod tribui solet Attico Episcopo Constantinopolitano, & veluti lacinia quædam adjicitur actis Concilii Chalcedonenfis. Id verò commentum planè esse & ab impostore quodam confictum eruditè ostendit Dorscheus *in addendis, quæ præmisit exercitationi ad Concilium Nicænum.* Nec tamen de antiquitate istius inventi cuiquam litem movebo, quin & fieri potuit, ut eo jam tum tempore, quo Concilium Tridentinum celebratum fuit, in usu esset. Sanè de Juliano Imperatore refert Gregorius Nazianzenus *lib. 1. advers. eund.* quod constituerit *diversoria edificare, ac domos excipiendis hospitibus dicatas, simulq. humanitatem erga pauperes adungere, cùm aliam, tum eam, quæ in notis sive tesseras epistolaribus consistit, quibus eos, qui inopiâ premuntur, ex gente ad gentem transmittimus.* Idque haud paulò clarius describit Sozomenus *lib. 5. c. 16.* hunc in modum. *Πραecipue notas ac tesseras Episcopaliū literarum ad-*

A a a a a

mira-

miratus esse dicitur, quibus solent peregrinos sibi invicem commendare, ut undelibet venientes, ad quoscunq; accesserint, tanquam noti atq; amici excipiantur hospitio, & benignè curentur ob testimonium ejusmodi notæ. Hæc cum animo ageret, operam dabat ut gentiles Christianorum institutis advesfaceret &c.

V. Causarum, propter quas epistolæ istiusmodi canonicæ scribebantur, diversitas discrimen induxit, ut ipse etiam inter se diversæ & diversarum specierum haberentur epistolæ, suggerentibus ita & comprobantibus Conciliorum canonibus. Communiter autem ad tria communia genera referri solent, & dicuntur esse aliæ εἰρηνικαί, aliæ συζητητικαί & aliæ δόλολυπικαί; quæ tamen species tanto discrimine non distant, ut non combinari aliquando queant. Εἰρηνικαῖς & συζητητικαῖς distinxit Concilium Chalcedonense can. 11. Τῶν δόλολυπικῶν mentionem facit Concilium Quinseximum in Trullo habitum can. 17. Atq; istæ species non tantum ex causâ & materiâ distinguebantur, sed etiam ex personis interdum, quibus illæ dabantur, & qui illas recipiebant. Ἀπολυπικαί enim solis dabantur clericis, sicubi in aliam Ecclesiam transferrentur? εἰρηνικαί verò & συζητητικαί etiam Laicis pro re natâ, & cuiusq; indigentia.

VI. Εἰρηνικαῖς & δόλολυπικαῖς confundunt Theodorus Balsamon & Johannes Zonaras ad Concilii Chalcedonensis can. 11. Dimissoria, inquit Balsamon, quæ etiam pacificæ dicuntur, aliæ sunt, (scil. à συζητητικαῖς seu commendatiis) Dicuntur autem dimissoria, ut quæ ostendant, ex voluntate ac dimissione antistitis clericum vel Episcopum transiturum: Pacificæ autem dicuntur, quod cum talis affertur scriptura ab eo, qui ordinatus est, pax erit inter antistites. Et Zonaras: Pacificæ epistolæ sunt, quæ alio nomine dimissoria dicuntur. Cujus generis eæ sunt, quæ Episcopis à Metropolitanis, quibus subjecti sunt, & Metropolitanis à patriarchis, à quibus designantur, dari solent, cum ad Imperatorem necessariâ de causâ mittuntur, & quales sunt illæ, quæ clericis quoque ab Episcopis suis, si in aliam Urbem migrare, Ecclesiæ que, quæ ibi est, Clero adscribi velint traduntur. Et negari quidem non potest, δόλολυπικαῖς etiam εἰρηνικαῖς quandoque dici, imò & συζητητικαῖς, cum dimissoria sine adjunctâ commendatione aliquâ pacisque symbolo haud fierent, ut ita εἰρηνικαῖς cum reliquis duabus speciebus quandoque easdem constituerent literas. Propriè tamen loquendo εἰρηνικαῖς latiore ambitum habebant, angustiorẽ συζητητικαῖς, sed latiore tamen adhuc δόλολυπικαῖς. Matthæus Blastares tamen in syntagm. lit. A. c. 9. clericum locum mutaturum duas epistolas secum ferre oportere statuit, commendatitiam & dimissoriam. Cum verò utrumque istud uno contextu, unâq; membranâ scribi queat, vix erit, ut diversa illa obtinuerit ratio.

VII. Εἰρηνικαῖς & Clericis & Laicis pauperibus peregrè proficiscentibus dabantur, & utrisque quidem propter generalem hunc finem, ut ostensis illis, quocunq; venerint, hospitio excipi possent. Clericis quidem vix un-

unquam datæ fuerunt solæ. sed plerumque cum *συζήσεις* aliquâ aut *δουλοσεί*. De Laicis autem expressus est textus in *can. 11. Concilii Chalcedonensis*: *Omnes pauperes & indigentes auxilio, cum proficiuntur sub probatione, epistolis vel ecclesiasticis pacificis tantummodo commendari decrevimus &c.* Est hoc speciale requiritum Episcopi, ut hospitalitatem exercent, *1. Tim. III, 2.* Et erant olim Xenodochia propè Ecclesias, quibus recipiebantur peregrini & pauperes, atque in illis cibo & potu reficiebantur. Etsi verò in hospitalitate exercenda nullus sit habendus personarum delectus, sed indifferenter quibuscunque sufficimus, hospitales nos exhibere debeamus, secundum Johannis Chrysostomi verba apud Gratianum *c. quiescamus dist. 42.* si tamen per literas episcopales hospitalitas excitanda fuerit, & pauperibus procurandum, ut alibi dignè propter Christum recipiantur, *καὶ δοκιμασίας*, h. e. examine aliquo prævio id fieri debet. Epistolæ enim ejusmodi erant veluti symbola, *συνήματα*, tesseræ & signa Christianæ charitatis & mutux benevolentix, concurrentis in illo tertio, qui literas ejusmodi acceperat. Erant *communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quàm ejusdem Sacramenti una traditio*, uti loquitur Tertullianus *de præscript. c. 20.* De hoc igitur Sacramento necesse est, ut participet etiam ille, cui literæ dantur, & utrum participet, examine opus est, ne communicatio pacis fiat per medium aliquod paci & Christianæ concordix aduersum.

VIII. *Συζητικαί* epistolæ plus continent, quàm *εἰρηνικαί*, quod etiam innuitur *d. can. 11. Concilii Chalcedonensis*; qui totus ita habet ex versione Dionysii Exigui: *Omnes pauperes & indigentes auxilio, cum proficiuntur sub probatione, epistolis vel ecclesiasticis pacificis tantummodo commendari decrevimus, & non commendatitiis literis, propter quod commendatitias literas honoratioribus tantummodo præstari personis conveniat.* Vocabulum *tantummodo* ex naturâ significationis suæ docet, minus quid dari in pacificis literis quàm in commendatitiis. Hæc enim particula taxativa, uti Jctis dicitur, non qualificat, seu non facit enunciationem qualificatam, sed simplicem exclusivam eorum, quæ non pertinent ad id, de quo enunciatio concepta est. *Commendatitiæ autem ejusmodi literæ tum Clericis dabantur, tum Laicis, sed Laicis tantum honoratioribus, πῶς ἔστιν ἐν ἰσπολήσει μόνως ἁγιστάτοις*, quæ verba malè interpretatur Balsamon de illis, qui alioquin fuerunt in non bonâ existimatione. Clericis, quæ dabantur *συζητικαί*, eorum ordinem describebant, & orthodoxiam, & honestam disciplinam. Et ad hoc testimonium, si verum repertum fuerit, Clericus communionem dignabatur; si minus, communicatio Ecclesiastica non dabatur, sed ut peregrino, ea tantum quæ necessaria erant ad victum præbebantur. Et hæc erat communicatio, quæ peregrina dicebatur, uti eam supra exposui. Honestiori-

bus personis quæ datæ fuerunt literæ commendatitiæ, exponebant itidem earum statum & conditionem, rectam de DEO & rebus divinis sententiam, & honestam vitæ rationem. Quas qui secum ferebat, lautiore hospitio & victu excipiebatur.

Jus IX. *Ἀπολυτικῶν* denique epistolæ dabantur Clericis in alienam Ecclesiam discedenti, & locum mutanti. Sic enim jus est, ut nec Clericus ad alienam Ecclesiam invito Episcopo suo transire, nec alius eum Episcopus recipere queat. Concil. Antiochen. c. 22. Episcopus non constituat presbyteros aut diaconos alteri subjectos Episcopo, nisi fortè cum consilio & voluntate regionis Episcopi. Tales conciliorum canones extant plures, quos collegit Regino Abbas Prumiensis lib. 1. de eccles. disciplin. n. 419. seq. & Gratianus dist. 71. Ut igitur Clerico transire in aliam Ecclesiam & huic eum recipere liceret, epistolam Episcopi sui secum ferre oportebat. Concil. Aurelian. V. c. 7. Ut Episcopus alterius Clericum in gratiam sine epistola Episcopi sui, provehere non presumat. Quod si presumpserit, ille qui ordinatus fuerit, ab honore quem accepit remotus, quod ei commissum est, agere non presumat; & is qui eum sciens ordinaverit, tribus mensibus communionem privetur. Leges Longobardorum lib. 3. tit. 1. n. 23. De presbyteris, qui de aliis locis vel provinciis veniunt, ut nullus eos debeat recipere sine dimissoria Episcopi sui de cujus parochia sunt. Idem dicitur tit. 2. n. 1. 2. 3.

X. Uti solebant Episcopi in scribendis ejusmodi epistolis omnibus, certis quibusdam signis atque notis ex alphabeto græco de promptis, quæ certum numerum exprimebant. Præmittebantur scilicet elementa Græca π. υ. α. π. Patrem, Filium & Spiritum S. denotantia. Subjungebatur ejus qui scribit epistolam prima litera, cui scribitur, secunda, accipientis tertia, civitatis quoque ex qua scribitur, quarta, & indictionis, quæcunque est illius temporis numerus assumebatur. Quibus literis omnibus, quatenus numeros exprimunt, simul computatis, unam, quæcunque collecta fuisset, summam epistola tenebat. Addebantur præterea separatim nonagenarius & nonus numeri, qui secundum græca elementa *α. μ. η.* significant. Tales descriptiones & exempla inveniuntur passim. Vid. Attici Episcopi Constantinopolitani epistola, cujus supra fecimus mentionem, Ivo Carnotensis part. 6. decretic. 433. seq. Regino Abbas Prumiensis lib. 1. de eccles. disciplin. n. 437. seq. Gratian. dist. 73. Jacob. Sirmond. ad calcem tom. 2. Concil. Gallicor. itemq; ad Sidon. Apollinar. pag. 66. Hieron. Bignon. ad Marculsi form. pag. 600. Christoph. Justell. ad Cod. Canon. Eccles. univ. p. 182. & 230. Joh. Bapt. Souchet ad Ivon. epist. 4. potissimum verò Franciscus Benardinus Ferrarius & Philippus Priorius, qui istud argumentum enucleatè tractarunt.

XI. Cæterum literæ illæ Clericis peregrè abituris prorsus necessariæ erant, cum, ut supra dixi, alibi sine ejusmodi literis non admitteretur ad communionem, idque si opus esset multis aliis Conciliorum testimoniis

comprobari posset. Constitutum autem id potissimum est propter criminosos, (sunt verba Urbani Pontificis apud Gratian. c. duæ sunt 19. q. 2.) ne videlicet infames ab aliquo Episcopo suscipiantur persone. Solebant enim officia sua cum non poterant in suo Episcopatu, in alieno celebrare: quod jure præceptis & scriptis detestatum est. Cæteris, qui Clerici non erant, sicubi jure hospitalitatis frui vellet, itidem necessariæ erant literæ *επισημαί*. Notæ autem & numeri per elementa græca ideo adhibeantur, ne cuivis in promptu esset imitari literas ejusmodi, & fraudem circa illas committere. Inde ille etiam, qui recipiebat tales literas, accuratum instituere solebat examen, utrum rectè se haberent omnia, & utrum convenirent dicta viatoris cum literis. Concil. Eliberin. can. 58. Placuit ubiq; & maxime in eo loco, in quo prima cathedra constituta est Episcopatus, ut interrogentur hi, qui communicatorias literas tradunt, an omnia rectè habeant, suo testimonio comprobati. Idque eò pertinebat, ne cum peccatoribus commercio aliquo communicarent. Et quia ubiq; ut ait canon, exhiberi oportebat tales literas, conficit inde Gabriel Albalpinæus ad eund. viatores literas communicatorias five formatas non solum Episcopis sed & Ecclesiarum Rectoribus aut quacunque transfirent, obtulisse, verosimile tamen esse ab aliis, præterquam ab Episcopis nil quicquam in ipsis literis adnotatum, quod sine dubio colligit ex eo, quod solis Episcopis potestas dandi epistolas formatas competat. Adscribere autem solebant diem, quo illi diœcesin obiissent, & quemadmodum se in eâ gessissent.

XII. Præter has quas enumeravimus epistolas solebant Episcopi adhuc alias ad invicem, aut ad alios scribere, solennes quidem & ipsas, sed quæ formatarum nomine non veniebant, nec tali stylo concipiebantur. Inter eas præcipuè eminent *εορταστικαί* sive festales aut festivæ, quæ diebus festis, maxime diebus natalis Domini & resurrectionis scribi consueverant. In illis consalutare se invicem, & quàm prosperè festivitatem celebrassent, nunciare solebant, additis eulogiis, quæ erant munera istis festivitibus mitti consveta. Exempla in eam rem prostant plurima inter epistolas Theodoret, Aviti ac Desiderii Episcoporum morem hunc morisque causas mutæ scil. benevolentia charitatisq; studium repræsentantes. Breve istam adscribo Theodoret, quæ est quinquagesima sexta: *Urget quidem adhuc me tristitia, & mentem graviter concutit; attamen diei festi legem implere justum existimavi. Nunc itaq; scribo, & reverentiam tuam saluto, & charitatis debitum exsolvo.*

XIII. Extant adhuc aliæ, quibus Episcopi se invicem & vicinos maxime ad Urbium suarum celebritates invitare solebant. Talis est Basili Magni epistola 291. quâ ad Cæsariensium Martyrum diem anniversarium totius Ponticæ diœceseos episcopos invitat: *Quocirca cum inter martyres nobilissimi sint Euphychius & Damas, sociiq; ipsorum, quorum anniversaria memoria in Urbenostrâ totâq; viciniâ celebratur, admonet vos peculiare decus suam Ecclesia,*

Aaaaa 3

voceq;

voceque nostrâ hortatur, ut antiquam visitandi nos consuetudinem repetatis. Munuscula etiam sibi invicem mittebant per epistolas, uti apparet ex Ivonis Carnotensis epist. 6. & Fulberti epist. 5. Sed tales epistolæ ad communes pertinent & vulgares, de quibus ut agamus, non fert nostrum institutum.

CAP. XXXIV. De Jure benedicendi.

I.

Benedicendi ritus in Ecclesiâ Christianâ antiquissimus, & ex Judæorum solennitatibus receptus, imò à DEO ipso in Veteri Testamento præscriptus est. Sic enim se habet formula divinitus præcepta *Nam. VI, 24. Benedicat tibi Dominus & custodiat te: Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad Te & det tibi pacem.* Nec dubito, formulam hanc adhibitam fuisse tùm præcipue, quando peracta fuerunt sacra & dimittendus esset cætus. Erat verò benedictionis insuper usus etiam inter privatos, qui vel accedendo vel recedendo optima quæque precabantur sibi invicem, suumque affectum ita sibi testatum faciebant. Erantque salutationes, quibus sese mutuo excipiebant, nihil aliud, quàm benedictiones, & bona verba in vota & omnis prosperitatis ad preces desinentia.

II. In Novo Testamento non tantùm Christus ipse laudabilem hunc ritum continuavitque retinuit, sed etiam Apostoli. Christus nempe post resurrectionem, cum apparuisset discipulis, pacem eis precatus est, *Luc XXIV, 36. Johan. XX, 19. 21. 26.* Apostoli autem in primâ suâ Epistolâ, cujus mentio fit *Actor. XV, 23.* vocabulo *Χαίρετε* usi fuerunt, quæ ipsa formula etiam in Jacobi epistolâ invenitur *cap. I. v. 1.* Et fertur Cleon primus in epistolis *Χαίρετε* usurpasse, uti referunt Lucianus *pro Lapsio in salutando*, & Laërtius in *Platone*. Quid autem istud *Χαίρετε* significet, abunde explicant Apostoli in suis epistolis aliis. Equipollet enim formula alia, quæ apud eos frequentior occurrit: *Gratta vobis & pax à DEO Patre nostro & Domino Jesu Christo*, quâ utitur Paulus *I. Cor. I, 3. Galat. I, 3. Ephef. I, 2. Philipp. I, 2. Coloss. I, 2. I. Thessal. I, 1. 2. Thess. I, 2. I. Tim. I, 2. 2. Tim. I, 1. Tit. I, 4. Philem. I, 3. 2. Job. I, 3.* Per pacem autem Hebræorum more omnia prospera intelliguntur, uti optime notat Grotius. Præcipue verò pax illa intelligenda venit, quam dare se velle promisit Salvator ipse, *Joh. XIV, 27.* diversam scilicet à pace mundi. Ista autem pax Christi includit pacem sive reconciliationem hominis cum DEO, pacem hominis cum se ipso, & pacem hominis cum proximo, e quibus posterior semper ex priorè nascitur. Ex agnitione enim exhibitæ benignitatis & gratiæ DEI in itaque reconciliationis oritur tranquillitas mentis & conscientiæ. *Rom. V, 1.* hinc verò accedente gratiâ Spiritus S. consequitur affectuum moderatio & debitus ordo, ne turbent mentem & in diversa abripiant: & hæc ubi fuerint, facile servatur mutua hominum inter se concordia. Nam qui animum habent tranquillum & serenum, cum omnibus hominibus, quantum in se est, pacem colunt, cum bella & lites ex concupiscentiâ oriuntur, *Jacob. IV, 1.*

III. Hisce formulis, & cæ præsertim, quâ pacem precari solebant, usi deinceps fuerunt plerique Ecclesiæ Doctores. Ita Polycarpus Episcopus Smyrnenensis *in epist. ad Philippenses: Misericordia vobis & pax à DEO omnipotente & Jesu Christo Salvatore nostro abundet.* Et Ignatius, qui tamen *τὸ Χαίρετε* plerumque usurpavit, *in epist. ad Tarsenses: Misericordia & pax à DEO patre & Domino Jesu Christo.* Idemque ad Heronem Ecclesiæ Antiochena diaconum: *gratia & misericordia & pax ab omnipotente DEO & Christo Jesu Domino nostro.* Et ad Philippenses: *Misericordia & pax à DEO Patre & Domino Jesu Christo.* Pontificis